

CONSILIIUM AD EXSEQUENDAM CONSTITUTIONEM  
DE SACRA LITURGIA

---

# NOTITIAE

13

IANUARIO 1966

---

CITTÀ DEL VATICANO - PALAZZO SANTA MARTA

## ORATIO FIDELIUM

Christum Dei filium, qui est via, veritas et vita, in hac studiorum sollempni inchoatione, suppliciter exoremus.

1. Pro immaculata Dei vivi Ecclesia, per totum orbem constituta, divinae bonitatis opulentiam deprecemur.

R. Christe, audi nos.

2. Pro Papa nostro Paulo, pro Sancti Dei magni sacerdotibus et ministris sacri altaris cunctisque Deum verum colentibus populis Dominum supplicemus.

R. Christe, audi nos.

3. Pro universis recte tractantibus verbum veritatis multiformem Verbi Dei sapientiam peculiariter obsecremus.

R. Christe, audi nos.

4. Pro unitate Ecclesiarum, pro gentium adventu ad veram fidem, pro concordia inter nationes, Dominum oremus.

R. Christe, audi nos.

5. Pro huius aliae Universitatis superioribus et alumnis omnibus largitorem spiritualium munerum enixe obsecremus.

R. Christe, audi nos.

6. Pro animabus fidelium, qui in hac communitate per caritatem fraternalm conversationem habuerunt, Dominum deprecemur.

R. Christe, audi nos.

## Oratio

Familiae tuae, Domine, preces miseratus intende, et toto tibi corde subiectam prosequere, sustenta, circumte; ut quae te gubernatore confidit et nullis implicitetur malis, et bonis omnibus expleatur. Per Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

## Documentorum explanatio

## DUBIA

*Solutio quae proponitur nullam induit vestem officialem. Solummodo habet valorem orientativum: solutiones enim ex officio publici iuris fient, si casus fert, a competenti Auctoritate in « Acta Apostolicae Sedis ».*

## AD INSTRUCTIONEM

## 103. UTRUM MELODIAE PRO CANTU ORDINARIIS MISSAE LINGUA VERNACULA A COETU EPISCOPORUM APPROBARI DEBEANT?

*Resp.: In Notitiae, 2 (1966) 243, dicitur: « Melodiae pro cantu Ordinarii Missae non requirunt approbationem Coetum Episcoporum ». Quibusdam tamen in casibus Conferentia Episcopalis aut Commissione liturgica sibi reservavit facultatem novas melodias etiam pro partibus Ordinarii Missae approbandi. Dubium ergo movet cuinam res pertinet.*

In n. 42 Instructionis *Inter Oecumenici* clare edicitur hanc approbationem ex parte Conferentiae Episcopalis necessariam esse tantum pro *novis* melodiis a *celebrante et a ministris canendis*. Nihil ergo de melodiis Ordinarii, idest *Kyrie, Gloria, Credo, Sanctus-Benedictus et Agnus Dei*. Pro hac parte nihil mutatur a legislatione hucusque vigente pro melodiis eorundem textuum in lingua latina, idest sufficere « *Imprimatur* » ex parte Ordinarii loci in qua textus musicus in lucem editur.

Difficile enim esset pro Conferentia Episcopali singulas compositiones musicae recognoscere, difficilius autem, ob consecataria, de singulis iudicare.

Hoc autem tempore, quo primo veniunt compositiones cum textibus vulgaribus, Conferentiae Episcopales aut Commissiones liturgicae possunt pressiorem invigilantiam exercere ita ut nihil indignum aut ineptum in cultum divinum irrepatur.

## 104. UTRUM LICEAT SACRAM COMMUNIONEM PER MENSAM ALTARIS DISTRIBUERE?

*Resp.: Sensus quaesiti est utrum conveniat altari formam mensae dare ita tamen ut sacerdos, stans ad altare, fideles ad aliud latus*